



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

Dispvtao XVIII. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ: & primùm de  
ministro legitimo in mortis articulo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



## SECTIO I.

*An solus Sacerdos sit Minister in hoc Sacramen-  
to: ubi; An Laicus possit in ali-  
quo casu absolvere?*

Conclusio est certa apud Catholicos, solum Sacerdotem esse Ministrum huius Sacramenti quæ definita est in Trident. sess. 14. cap. 6. his verbis: *Circa Ministrum autem huius sacramenti declarat sancta Synodus falsum esse, & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes clauum ministerium perniciosè extendunt & can. 10. Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, &c. anathema sit.* Fuit autem hoc definitum etiam in aliis Conciliis contra VVicleph. & alios hæreticos, quos referunt Vasquez 9. 93. art. 1. & Suarez disp. 24. sect. 1. Vnde obiter inferitur eum, qui verè non accepisset ab Episcopo potestatem consecrandi, & offerendi sacrificium, siue propter defectum materiæ, siue propter defectum formæ, vel quemcumque alium non recipere postea validè potestatem absolendi per illa alia verba: *quorum remisistis peccata remittuntur ei*, &c. sed debere repeti ordinationem, quoad utramque potestatem: quia licet prior possit accipi sine posteriori, non tamen è contra posterior sine priori: nec enim esse potest Minister huius Sacramenti, nisi solus Sacerdos: non est autem Sacerdos, qui potestatem offerendi sacrificium non habet, cum essentia Sacerdotij desumatur per ordinem ad oblationem sacrificij. Sicut ergo Christus voluit, potestatem, seu characterem Episcopalem recipi non posse nisi supposito sacerdotali; sic voluit potestatem absolendi non posse recipi, nisi præsupposita potestate consecrandi: vel certè simul cum illa, proptèr confectur à Græcis, qui simul conferunt utramque potestatem suis Presbyteris. Constat autem hæc Christi voluntas ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ ab initio sic intellexit alligaram esse solis Sacerdotibus potestatem sacramentaliter absolendi.

Hoc ergo supposito, dubitari posset primò An omnes Sacerdotes habeant hanc potestatem completam ad validè absolendum ex vi suæ ordinationis. Sed in eodem Concilio Tridentino eadem Sessione 14. can. 7. definitum etiam est, non sufficere potestatem Ordinis, sed requiri etiam potestatem iurisdictionis ad absolutionis valorem; in quo autem differant hæc duæ potestates, & in quo singulæ consistant, explicuimus latè *suprà* Disputatione 15. sect. 2.

Secundò ergo dubitari potest, an in aliquo necessitatis casu confessio fieri debeat, vel possit Laico, & idem est de non Sacerdote, siue sit Diaconus, siue Religiosus. Quod etiam ex dictis faciliem habet resolutionem; cum enim definitum sit, solum Sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti, certum est, sicut consecratio Eucharistiæ in nullo casu validè fieret à non Sacerdote, sic nec absolutionem sacramentalem. Solumque proponi solet hoc dubium propter nonnullos antiquos, qui significarunt, in casu necessitatis confessionem debere fieri cum Laico, si sit homo prudens, & sapiens. Quod videtur sensisse Magister in 4. dist. 17. capite 4. & Sanctus Thomas ibi quest. 3. art. 3. quest. 2. in solutione primi: ij tamen non loquuntur de confessione sacramentali, sed de confessione ad humiliationem penitentis, vel ad consiliū ordinata. Et quidem Theologi recentiores

M m aduertunt,

eiusmodi conditionem ita loquitur Vasq. in *presenti* quest. 91. art. 2. dub. 1. n. 39. quem sequitur Ioannes Sancius in *selectis* disp. 44. n. 32. & videtur magis iuxta mentem Ritualis Romani, in quo nihil dicitur de tali conditione adiungenda, sed absolūtè dicitur absolvendus infirmus, Neque etiam in antiquis decretis, quæ attulimus, vlla sit mentio conditionis apponendæ. Si autem esset talis obligatio moniti fuissent Sacerdotes, ne in re aded gravi errarent, proptèr moniti sunt de apponenda conditione, quando baptizant aliquem, de quo dubitatur, an fuerit antea baptizatus.

Cur autem magis apponenda sit conditio in casu illo baptisimi, quam in nostro. Ratio est, quia ibi agitur de dubio proprio, in quo non potest Minister iudicare baptismum nunc validè confectum. At verò in casu nostro habet assensum ad minus probabilem de valore absolutionis: quando autem operamur ex assensu probabili, operari possumus absolūtè absque alia conditione appositæ: quia assensus præcedens absolutus est, licet sit probabilis. Vnde cum proportionē debita idem dicendum erit de absolutione, quæ debet etiam sub conditione dari, quando datur cum vero dubio, verbi gratia, si dubitat Sacerdos, an signa ab infirmo exhibita fuerint ad significandum dolorem de peccatis, & voluntatē absolutionis: an verò ex dolore morbi. Item an quando dixit se velle confiteri, esset compos sui, an impos, & sine rationis vfu. In his enim, & similibus casibus propter reuerentiam Sacramenti absolutio impendi debet sub conditione explicita interius concepta. Et hæc sufficiant de hac controversia.

## DISPUTATIO XVIII.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ,  
& primum de Ministro legitimo  
in mortis articulo.

SECT. I. *An solus Sacerdos sit minister in hoc Sacramen-  
to: ubi; An Laicus possit in ali-  
quo casu absolvere?*

SECT. II. *De ministro huius Sacramenti in articulo  
mortis.*

SECT. III. *Appendix ad supradicta de peccatis veni-  
alibus, & mortalibus antea confessis; quis  
sit in ordine ad illa legitimus minister.*



VA MVIS ordo doctrinæ videretur alicui fortasse exigere, ut post explicatas alias duas partes materiales huius sacramenti, scilicet contritionem, & confessionem, ageretur de tertia, nempe de satisfactione; aliundè tamen magis videbitur congruere, ut prius de legitimo ministro dicamus; tum quia confessio ipsa non satis explicatur sine suo termino; debet enim confessio esse legitima, hoc est, quæ legitimo iudici fiat, ad quod necesse omnino est scire, quis sit legitimus Iudex respectu singulorum, & cui debeat legitima confessio fieri. Tum etiam, quia Tractatus de satisfactione trahit secum alia, nempe de satisfactione in communi, de suffragiis, de indulgentiis, quæ omnia connexa sunt in ordine ad doctrinam, & quæ si in hoc loco traderentur, videretur nimium interrumpi ipsa sacramenti explicatio, idè videtur magis è re esse, si totum id, quod pertinet ad Confessarium, seu Ministrum, hoc loco disputemus: & postea expedit iam à Sacramento quoad essentialia, possumus in calce materiæ de satisfactione tractare.

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.



aduertunt, rarissime esse eam consulendam, & nunquam fore ponendam ex obligatione. Cyprianus verò lib. 3. *epistolarum*, *epist.* 17. qui dicit, absente Sacerdote reconciliandum esse infirmum per Diaconum; loquitur de reconciliatione externa, quæ præcedebat, vt publicus peccator admitti posset ad Eucharistiam, quam poterat illi dare Diaconus, visa eius contritione admittendo ad reconciliationem, & ad communionem. Videantur Suarez, & Vasquez locis citatis.

5. Aliqui volunt, confessionem illam factam Laico prodesse saltem ad remissionem venialium ex opere operato, non vt sacramentum, sed vt aliquid sacramentale. Sicut prodest aqua benedicta: ita Victoria de *Confessione*, num. 142. & alij. Sic enim & Sacerdos in Missa confitetur ministro Laico, & absolvitur ab illo deprecatoriè, & Moniales in Choro, dum recitant Officium, confitentur, & absolvuntur ab invicem. Hæc tamen licet verum esset, non requireret confessionem specialem, nec integram de peccatis; sed sufficeret confessio generalis: de his autem sacramentalibus, quomodo concurrant ad remissionem venialium, diximus *suprà disp.* 9. *sect.* 4.

6. Magis difficile est, an saltem in illo mortis articulo posset Laicus, deficiente Sacerdote, absolvere valide ab excommunicatione. Affirmant non pauci: Glossa in *cap. A nobis* 2. *verbo. Non potuerit de sententia excommunicationis*, & in *cap. Pastoralis*. 6. *Præterea, verbo. Præterquam in morte, de officio ordinarij*: Syluester, *verbo. Absolutio* 1. num. 8. Armilla ibi, num. 39. Tabiena *Absolutio* 2. numero 8. Panormitanus in *disto. c. A nobis*, numero 10. & ex Recentioribus Auila de *Censuris*, part. 2. *cap. 7. disputat. 1. dub. 3.* Ioannes Valerius, Ioannes de la Cruz, uterque Ledesma, Ioannes Sancius, & Regucius, quos affert, & sequitur Diana 2. *tom. tractat. 4. de Sacramentis, resolutiones* 134. Fundamentum potissimum est, quia in eo necessitatis articulo Ecclesia pia Mater, omnibus, quibus poterat, facultatem concedit absolventi ab omnibus peccatis, etiam Hæreticis, & Schismaticis vt postea videbimus: ergo propter eandem necessitatem credibile est, dedisse eandem potestatem Laicis in ordine ad excommunicationem, cum id facere potuerit.

7. Contraria sententia verior est, quam tenent Suarez *disputatione septima de Censuris, sectio. ne sexta*, numero 6. Sotus in *quarta, distinctione* 18. *quest. quarta, articulo*. 4. Thomas Sanchez lib. 2. in *Decalog. cap. 13. num. 13.* Vasquez *tom. 4. de excommunicat. dub. 18. num. 9.* Coninch. *disputat. 14. n. 236.* Layman, Villalobos, Couarruias, & alij, quos refert Diana loco citato, Paludanus, Nauarrus, Vgolinus, & Grassius, quos affert Suarez; item Corduba in *summa cas. 18. ad secundum*. Probant aliqui, quia Ecclesia concedit facultatem illam omnibus Sacerdotibus in ordine ad absolutionem à peccatis: cum ergo Laicus non possit à peccatis absolvere, non est cur ei concedatur absolutio ab excommunicatione.

8. Hanc tamen rationem impugnat Suarez, quia facultas absolventi à censura non conceditur Sacerdotibus in illo articulo, propter solam absolutionem à peccatis, sed independentem ab ea. Vnde si infirmus non absolueretur à peccatis, adhuc valide absolueretur à censuris. Addere possumus, in Tridentino *sessio. 14. c. 7.* vbi de illa facultate fit mentio, non solum esse sermonem de absolutione ab excommunicatione, sed de absolutione ab omnibus censuris: certum autem est, quod absolutio ab interdico, seu suspensione non semper requiritur ad

absolutionem à peccatis: ergo illa facultas non conceditur solum propter absolutionem à peccatis.

Vnde reicitur etiam aliorum ratio, quod scilicet, illa absolutio necessaria non est; nam si infirmus non est contritus, nihil proderit; si verò est contritus, sine illa saluus erit. Ad hoc tamen Auctores primæ sententiæ facile respondent, prodesse multum, scilicet vt defunctus sepeliri possit in loco sacro, & pro eo offerri possint suffragia Ecclesiæ absque alia licentia illius, qui enim excommunicatur, cum iam fuerit à censura legitime absolutus.

Melius probatur nostra sententia, retorquendo argumentum contrarium; quia nimirum Tridentinum docuit, propter necessitatem illius articuli custoditum fuisse in Ecclesia semper, vt quilibet Sacerdos posset quemlibet à qualibet censura, & peccato absolvere. Hoc autem dici non potuit enim veritate in casu nostro. Nunquam enim in Ecclesia custoditum fuit, nec in praxi observatum, aut consuetudine introductum, vt Laicus in eo articulo absolueret: ergo non est credendum fuisse talem facultatem: probatur consequentia, quia facultas omnium Sacerdotum absolventi, tunc à quolibet peccato, quia re vera erat, cognita fuit, & in praxi ab omnibus reducta: illam autem aliam nemo ad praxim reduxit in tot millibus casuum occurrentium. Signum ergo est, quod talis facultas nunquam fuit, quam fideles omnes in praxi ignorarent, & solum ab aliquibus Auctoribus in Schola cognita fuit: tamen paulatim eam & per partes concesserunt. Aliqui enim dixerunt, non omnibus, sed solis Clericis concessum esse, quod in illo articulo possint absolvere. Alij non omnibus Clericis, sed istis, qui alias facultatem habent excommunicandi, & absolventi subditos suos, concedi in illo articulo, quod absoluant etiam non subditos. Alij denique hoc ad omnes Laicos extendunt. Vnde verè ne paulatim alij ad feminas id extendant, ac denique alij ad non baptizatos, cum ij omnes in casu necessitatis valde baptizent, & non sit improbable, potuisse Ecclesiam de potestate absoluta eiusmodi facultatem iis omnibus communicare.

Vnde retorqueri potest secundò argumentum primæ sententiæ: quia Ecclesia in illo articulo ita concessit facultatem omnibus Sacerdotibus, vt si possit ipsa Ecclesia immediate absque Sacerdotum ministerio absolvere fideles in eo puncto, & articulo, eos procul dubio absolueret, vt eis subveniret, & eos à periculo æternæ damnationis liberaret. Hoc autem quod in ordine ad peccata non potuit, potuisset, si vellet facere in ordine ad excommunicationem; nam potuisset absque alterius ministerio ipsa Ecclesia immediate absolvere moribundum à censuris, seu nolle, quod amplius esset eis ligatus: & tamen id non fecit, ergo non bene arguitur ex facultate data omnibus Sacerdotibus absolventi à peccatis, similis facultas data omnibus Laicis absolventi à censuris pro eo articulo.

Ratio autem supposita consuetudinis diversitate, quæ hoc interpretatur, potuit esse diversus necessitatis gradus cum absolutio à peccatis simpliciter sit ad salutem necessaria homini non contrito: Absolutio autem à censuris, licet utilis sit ad aliquos effectus, non est tamen necessaria ad salutem; & licet propter aliquam utilitatem, quam affert ad sepulturam, & suffragia, voluerit eam etiam concedi posse à quolibet Sacerdote; non tamen voluit concedi posse à quolibet homine; quia id cederet in aliquem censurarum conceptum, & Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem.

Nec



15. Nec obstat, quod asserti solet ex Augustino relato in c. *Sanctum est*, de consecratione dist. 4. ubi refertur, quendam penitentem reconciliatum esse à Laico in vitæ periculo, quod Augustinus laudat. Respondet enim primò, illam non fuisse absolutionem ab excommunicatione, aut censura, sed reconciliationem publici penitentis, publicus autem penitens non semper erat excommunicatus. Secundo Augustinus laudat pium animum, & desiderium, quod Deus acceptavit liberando utrumque à naufragio, non approbat factum quoad potestatem, quam Laicus haberet reconciliandi penitentem.

14. Dubitari etiam solet circa hoc ipsum, an si Laicus in articulo mortis absolvere tentaret à peccatis, fieret irregularis. Suppono iuxta veriorum sententiam, non solum Clericum, sed etiam Laicum exerceat actum ordinis sine eo ordine fieri irregularem, ut cum communi docet Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 31. sect. 4. in fine, & tom. 5. de censuris, disputatione 42. sect. 4. n. 10. Quo supposito, videtur incurrì irregularitatem in nostro casu, cum exerceat actus ordinis Sacerdotalis sine eo ordine. Ceterum si Laicus absoluat, non quidem fingendo se Sacerdotem, vel usurpando eius officium, sed ut merus Laicus, eo quod putat. Laicum posse in eo articulo absolvere, vel alio modo exercet illum, non ut actum Sacerdotis, sed ut actum Laici; crederem non fieri irregularem: quia ad eiusmodi irregularitatem contrahendam requiritur quod Laicus exerceat illum actum tanquam ordinatus, ut cum aliis observat Gaspar Hurtado disp. 2. de irregularitat. diff. 1. n. 5. Qui autem absoluit nò ut Sacerdos, sed ut Laicus, non facit etiam exterius actum ordinis, cum non intendat etiam exterius significare, se illud agere ut Sacerdotem, sed solum in quantum potest ut Laicum. Aliter dicendum credo de Sacerdote, qui in ordinatione accepisset quidem primam potestatem conferendi Eucharistiam, non secundam absolvendi: hic enim si tentaret absolvere fieret irregularis, quia tentaret absolvere ut Sacerdos, cum tamen careat eo ordine saltem secundum potestatem ordinis ad eum actum requisitam, ut bene notavit Suarez loco citato de censuris. 3. cum aliis, quos affert. E contra verò si esset ritè ordinatus, caretet tamen debita iurisdictione, non fieret irregularis audiens confessionem, quia non exercet actum ordinis sine ordine, cum non desit ei ordo requisitus, sed sola potestas iurisdictionis, quæ distinguitur à potestate ordinis.

## SECTIO II.

## §. I. De Ministro huius Sacramenti in articulo mortis.

15. Præmittenda sunt verba Tridentini sess. 14. cap. 7. *Verumtamen*, inquit, pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quolibet penitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint. Circa hæc verba plura dubitari possunt. Primum, an hæc facultas pro illo articulo ita ampla sit de iure divino, an solum de iure humano Ecclesiastico. Plures dicunt esse de iure divino ex Christi institutione; quia alioquin defecisset Christus in necessariis ita Durandus, Canus, Paludan, Capreolus, Ruardus, quos affert Vasquez quest. 93. art. 1. dub. 3.

Secunda sententia communis, & verior dicitur esse ex iure Ecclesiastico. Ita Ioann. Medina, Turrecemata, uterque Sotus, Antoninus, Bonaaventura. P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

ra, & alij, quos referunt, & sequuntur Vasquez ubi supra, & Suarez disp. 26. sect. 4. n. 7. & videtur colligi ex verbis Tridentini supra adductis, pie in eadem Ecclesia Dei custoditum fuit. Secundo colligi solet ex verbis, quibus Pontifices uti solent, quando referunt sibi absolutionem alicuius peccati, *præterquam in mortis articulo*, quæ exceptio superflua esset si ab ipsis non dependeret iurisdictione pro illo articulo. Tertio, colligit Suarez, quia etiam in eo articulo valet reservatio quoad hoc, ut præsentem proprio Superiori, non possit absolvere inferior. Ergo iurisdictione datur, & aufertur ab Ecclesia etiam pro illo casu, & quidem si antecedens esset certum, consequentia est clara; illud tamen antecedens à multis negatur, ut postea videbimus. Quarto colligi posset ex verbis eiusdem Trident. illo c. 7. in principio. *universiter dicentis, nullum momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem*: atque ideo semper supponi debere, quod penitens sit subditus Confessarij. Quæ verba cum universalia sint, nullum prorsus casum excipiunt; atque adeò dicendum est, Sacerdotem pro eo articulo habere iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Non videtur autem dicendum, quod Sacerdos simplex habeat iurisdictionem ordinariam respectu omnium fidelium, nisi abutatur nominibus: nam iurisdictione ordinaria dicitur communiter illa, quæ competit ratione proprii muneris, & superioritatis, quæ aliquis est Pastor aliorum: nemo autem dicit, quod ex officio omnes Sacerdotes sunt adinuicem Pastores, & oves aliorum: non ergo habent iurisdictionem ordinariam, sed delegatam, nempe à supremo Pastore Pontifice Summo; qui ab initio omnibus, & singulis iurisdictionem plenam pro illo articulo delegavit.

Nec ideo periculum est, ne deficiat Christi providentia in necessariis: quia ut bene aliqui notarunt: sicut in aliis Spiritus sanctus assistit, & gubernat Christi Vicarium, ne erret perniciosè in Ecclesiæ gubernatione, sic assistit in hoc puncto: & ideo ab exordio Ecclesiæ iurisdictione pro illo articulo nunquam sublata est. Cur autem potestas baptizandi in casu necessitatis omnibus à Christo ipso concessa sit, absolvendi verò non ab ipso Christo immediate, sed ab Ecclesia Sacerdotibus detur: ratio esse potest tum maior baptismi necessitas, præsertim pro parvulis, imò, & pro adultis ad liberationem totalem à pœna spirituali, tum differentia utriusque Sacramenti: cum Baptismus non requirat ad sui valorem iurisdictionem in conferente provt requiritur penitentia eo quod sit iudicium; iurisdictione autem debet procedere ordine suo à superioribus ad inferiores, ut servetur debitus ordo hierarchicus in Ecclesia.

Secundo dubitari solet: An omnibus Sacerdotibus, nulla exceptione facta, concessa sit ea potestas, excommunicatis, degradatis, hæreticis, &c. sine ulla ex de quo latè, & optimè Vasquez quest. 93. art. 1. ceptione data dub. 4. ubi singulas sententias refert, & impugnat. *sic hæc facultas* Aliqui enim excipiunt excommunicatos vitandos, alij hæreticos. Utrumque si de possibili etiam sermo sit, caret omni fundamento; quia potuit Ecclesia in omnibus pro eo articulo iurisdictionem conferre, ad quam nec requiritur necessariò status gratiæ, nec fides, sed character Sacerdotalis, & voluntas Ecclesiæ. Si verò sermo sit de facto: obstant clarissima verba Tridentini supra adducta, quibus dicitur, quolibet Sacerdotes posse quolibet penitentes à quibusvis peccatis, in eo necessitatis articulo absolvere. Cum ergo in peccatis, & in penitentia

16.

17.

18.

An omnibus Sacerdotibus sine ulla exceptione data sit hæc facultas?

Mm 2 peniten



pœnitentibus illa vniuersalitas nullam patiatur exceptionem, non est cur in Confessio apponenda sit.

Nec obstat Hermenigildum filium Regis Hispaniæ à S. Gregorio laudari, quod maluit mori, quam Eucharistiam accipere de manu Episcopi Arianæ; nam illud Sacramentum non erat ita necessarium, sicut pœnitentia; & illa Eucharistiæ susceptio tunc fuisset quædam Arianismi professio. Quod si in pœnitentia eueniret, conandum etiam esset potius iustificari per contritionem, quam hæresim approbare. Cæterum non videtur posse moraliter contingere, quod pœnitens non posset illud periculum scandali tollere, si aperte protestaretur se hæresi illius Sacerdotis non consentire, sed petere in ea necessitate absolutionem in remedium animæ suæ: qua protestatione facta, rarissime obligaretur pœnitens propter scandalum aliquorum, quod iam non videtur esse passivum, exponere se periculo damnationis æternæ, si forte vera contritione careret, cum posset cum attritione per Sacramentum iustificari.

Terriò dubitari solet, quid in iis verbis intelligi debeat per mortis articulum. An scilicet sit idem, quod periculum mortis, & quid illud sit. Aliqui distinguunt mortis articulum, & periculum in casu nostro. Sotus, Canus, Covarruias, quos refert Valquez *vbi supra, dub. 5.* Gressius, Ledesma, Ioannes de la Cruz, quos refert Diana *2. tom. tract. 4. de Sacramento, resolutione 71.* ita ut articulus sit, quando iam mors proximè instat, & est moraliter certa, & ferè inenitabilis: periculum autem, quando est probabile dubium, eo quod frequenter soleat in tali casu mors accidere, ut est actuale bellum, longa navigatio, &c. Aliqui ex his Auctoribus concedunt posse intelligi Tridentini verba ex periculo non remoto, sed iam proximo, v. g. non in principio navigationis, sed quando iam tempestas excitata est; quando iam item partus difficultas sentitur.

Vterior, & communior iam sententia dicit, utrumque pro eodem accipi in præsentī materia. Syluester, Nauarrus, Ioann. Medina, Palud. Adrianus, quos affert, & sequitur Suarez in *præsentī disp. 26. sect. 4. num. 43.* Valquez *illo dub. 5.* Coninch in *præsentī, disp. 8. dub. 2. n. 16.* & alij plures, quos refert, & sequitur Diana loco citato: & latè, ac optimè Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. c. 13. n. 1.*

Probatur primò, quia licet illæ voces in rigore significationis diuersæ sint: ex usu tamen Ecclesiastico in præsentī materia pro eodem vsurpantur, ut constat ex *c. eos qui*, de sententia excommunicationis *lib. 6.* vbi in eodem contextu ille, qui vocatus fuerat, *articulus mortis*, statim vocatur *periculum*. Idemque constat ex *cap. si quis suadente 17. q. 4.* vbi posita reservatione, excipitur periculum mortis: cuius exceptionis fit mentio in *c. non dubium*, de sententia excommunicationis, & ibi appellatur *articulus mortis*.

Probatur secundò, quia motium Ecclesiæ ad dandam illam facultatem fuit, ne occasione reservationis, seu ex defectu iurisdictionis necessitatis, aliquis percat, ut dixit Tridentinum: hoc autem periculum non vitatur, si expectandum esset ad strictum mortis articulum, quando iam vita desperata esset: frequenter enim, imò ferè semper eueniret, ut iam tunc non esset oportunitas confessionis faciendæ. Ergo non debuit in illo pacto concedi iurisdiclio. Confirmatur, & explicatur, quia idem motium, quod habet Ecclesia ad dandam illam facultatem, scilicet ne homo percat defectu confessionis; idem, inquam, motium obligat ipsum hominem ad confitendum ante mortem; & quidem obligatio confitendi non est pro

solo articulo mortis strictè sumpto, sed etiam pro periculo, quia illud motium ad utrumque obligat: ergo & facultas ab Ecclesiâ concessa intelligitur in vtroque casu, cum habeat idem motium, quod est motium obligationis confitendi. Vnde quoties homo propter periculum mortis confiteri tenetur, toties Ecclesiâ intelligitur concedere facultatem supradictam.

S. 2. An præsentē proprio possit simplex Sacerdos absoluerē in mortis articulo?

Hoc est in hoc puncto magis difficile, & controuersum, in quo sunt varæ sententiæ. Prima affirmat, posse valide & licite. Fundamentum totum sumitur ex verbis Tridentini, quibus vniuersaliter dicitur, in illo articulo nullam esse reservationem, sed quemlibet pœnitentem posse per quemlibet Sacerdotem absolui à quibuslibet peccatis, & censuris: quæ verba cum vniuersalia sint, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, non est cur à nobis limitentur, & restringantur. Hanc tenent Nauarrus, Sà, Petrus de Ledesma, Eman. Rodriguez, Vega, Henriquez, quos refert Thomas Sanchez *vbi supra n. 6.* Item Barbosa, Vilalobos, Cortolanus, Conradus Ioannes Valetus, Angles, Zerola, Finelius, Paulus Comitulus, Philibertus Marchinus, & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom. 1. tract. de absolutione ab hæresi, resolutione 5. & 3. tom. tract. 4. Miscellan. resol. 161.* Aliqui tamen dicunt, Sacerdotem simplicem valide quidem, sed non licite absoluerē in prædicto casu. Vnde constat, excessisse in censura huius opinionis Luitium Turrianum in *select. disp. c. 2. c. 2. c. 2. Theolog. dub. 77.* dicendo, hanc opinionem esse improbabilem & damnatam à Gregorio XIII. Certe sententia, quam tot, & tam graues Doctores tenent, negari non potest, quin probabilis sit, præsertim cum fundetur in verbis Tridentini, quæ non facile explicari possunt ab aduersariis.

Secunda tamen sententia communior & vterior negat, posse licite, aut valide absoluerē Sacerdotem simplicem præsentē primo. Hanc tenent Rosella, Synæster, Armilla, Covarr. Simancas, Corduba, Grassius, Gratianus, Zambrianus, Sotus, Hugobinus Bartholomæus à Ledesma, Vualdus, Rutilius Benzonius, quos refert & sequitur Thomas Sanchez *dicto cap. 13. num. 7.* Suarez *dicta disputat. 26. sect. 4. num. 4. & tom. 5. de censuris, disp. 22. sect. 1. numero 62.* Valquez in *præsentī qu. 93. art. 1. dub. 4. numero 18.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 19. questio 5.* Valentia *tom. 4. disp. 7. questio 10. puncto 2. column. 6.* Molina *tom. 4. de iust. disp. 63.* dicens, id ita declarasse Gregorium XIII. quæ fortè fuit occasio, ut Turrianus diceret, primam sententiam esse damnatam. Sed ea declaratio in primis non constat authenticè: & illa non fuit condemnatio, sed declaratio, seu responsio Pontificis: eandem tenet Coninch *disp. 8. n. 16.* Bonacina *de censuris disp. 1. q. 3. puncto 3. n. 5. & in præsentī disp. 5. q. 7. puncto 1. n. 10.* Petrus Ochagania *de Sacram. tract. 2. de confessione q. 35. n. 4.* & alij recentiores communiter.

Fundamentum præcipuum desumitur ab aliquibus ex fine huius concessionis, qui fuit subuenire necessitati fidelium: quando ergo nulla est necessitas, eo quod adhuc Confessarius propius, non vult Ecclesiâ dare facultatem alius. Hæc tamen ratio meo iudicio, non sufficeret ad separandam vniuersaliter verborum, & concessionis absolutæ: quam prima sententia asserit pro se. Nam potuit necessitas fidelium mouere ad concedendam facultatem cum rota illa amphibolice ne scilicet

20. Quis sit articulus mortis.

21.

22.



et, si alio modo concederetur, aliquis sine confessione moreretur, dum fortasse expectat Parochum, quem accersit, vel licentiam Prælati: idem ut omne periculum vitaretur, potuisset illa concessio generalis fieri.

26. Præcipuum ergo, & solidum fundamentum huius sententiæ desumi debet ex eisdem verbis Tridentini, quibus dicitur, id ita semper custoditum fuisse in Ecclesia, quod in illo articulo nulla esset reservatio, sed quilibet posset absolvere; ex quibus constat, Patres Concilij noluisse in hoc puncto ius novum concedere, sed solum commendare, & approbare perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. Porro in Ecclesia non fuisse consuetudinem illam semper, ut præsentem Prælatum, Sacerdos inferior posset absolvere morientem à reservatis, multis argumentis probari potest: Et primò afferri solent aliqua Conciliorum loca, quæ referuntur à Gratiano 25. q. 6. nempe ex Concilio Carthag. relato in c. *Aurelius*, & ex Carthag. III relato in cap. *ultimo*, & ex Euaristo Papa relato in c. *Presbyteri*, quibus dicitur, Presbyteros non debere reconciliare infirmos periclitantes, nisi consulto Episcopo, si Episcopus absens non sit.

27. Hæc tamen loca videntur nimium probare: quia ipsi Auctores nostræ sententiæ concedunt, posse inferiores Sacerdotes absolvere infirmum periclitantem à casibus Episcopo reservatis, nec obligari Confessarium ad petendam illam facultatem ab Episcopo, licet possit, nec etiam infirmum ad petendam eam per literas, aut nuntium. Ita cum aliis, quos refert, docet Sanchez dicto cap. 13. num. 14. in illis autem Conciliis decernitur, ne Presbyter absoluat, nisi consulto prius Episcopo quando illum adire potest.

Adhuc tamen existimo, posse ex illis decretis argumentum desumi ad casum nostrum. Fateor autem, in duobus prioribus sermonem esse de reconciliatione publici penitentis, & quæ publicè, atque, ut ita dicam, pro foro externo facienda esset. In quo casu voluerunt Patres, ne fieret à Presbytero sine consensu Episcopi, quando Episcopus consuli posset: quia cum iam agatur de actu publico, non oportebat, præsentem Episcopo, Presbyterum sine causa sibi hanc potestatem arrogare. Ex hoc autem ipso arguere possumus ad casum nostrum: quia non est dubium, quod etiam pro foro externo, & in ordine ad actus externos, possit in illo necessitatis articulo inferior Sacerdos absolvere notorium, & publicum excommunicatum, hæreticum, denunciatum nominatim: & virtute illius absolutionis accipiet publicè reliqua Ecclesiæ Sacramenta, sepeliatur in loco factò, & habebit publica Ecclesiæ suffragia. Et tamen quando Prælati consuli potest, noluerunt Patres in illis Conciliis, quod reconciliaretur pro foro saltem externo ab inferiori Sacerdote sine licentia Episcopi. Ergo falsum est, quod facultas Sacerdotibus data pro illo articulo, sit independentè à Prælati, quando ipsi præsentem sunt. Quare cum proportionè dicendum est: sicut facultas absoluendi in illo articulo pro foro externo intelligitur cum illa limitatione, quando Prælati adiri non potest; sic etiam facultatem absoluendi in illo articulo pro foro interno habere eandem limitationem, quando scilicet, superior non adest: cum hoc tamen discrimine, quod facilius censetur adesse ad petendam facultatem pro foro externo, quàm ad petendam facultatem pro foro interno, in quo non obligatur ægrotus ad petendum per Confessarium, vel alium nuntium, aut manifestandum se per literas, sicut tenetur in foro externo, cum iam supponatur notorium eius impedimentum & delictum.

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

Adde in illo cap. *Presbyteri*, sermonem esse de absolutione in foro interno. Verba enim Euaristi Papæ sunt hæc: *Presbyteri de oculis peccatis iussione Episcopi penitentes reconcilient, & (sicut supra præmissum) infirmantes absoluant, & communicent.* Vnde vides, ad absolutionem etiam pro foro interno, & de oculis non solitos ire Sacerdotes inferiores sine facultate sibi ab Episcopo delegata.

Hoc ipsum etiam colligitur ex extravaganti, inter cunctas, §. *incendiarios*, de privilegiis & extravaganti. 1. §. *decernimus*, de sententia excommunicationis, quæ sunt inter communes, in quibus Benedictus XI. & Bonifacius VIII. declarant penitentes in certis casibus in articulo mortis posse absolui, si non possint tunc ad Episcopum, vel Summum Pontificem pro absolutione recurrere: ergo si possunt, etiam tunc non possunt absolui à Sacerdote inferiori.

Postremò hoc ipsum apertissimè constat ex cap. *eos qui, de sententia excommunicationis*, lib. 6. ubi dicitur, eum, qui in mortis articulo ratione imminentis necessitatis absoluitur à censura reservata, cessante impedimento, debere se præsentare superiori, cui reservata erat. Vnde fit, quòd si adsit superior ille, non possit inferior ab illa censura absolvere: nam penitens non potest absolui, nisi cum onere comparendi quamprimum possit, sed potest tunc comparere, cum adsit superior; ergo debet coram ipso statim comparere: non ergo voluit Ecclesia dare facultatem inferiori absoluendi subditum, quando ipse poterat coram superiore comparere, neque hoc fuit semper in Ecclesia vstitutum, sed quòd absolueretur à quolibet Sacerdote in defectu superioris propter necessitatem.

Secundò colligitur hic usus Ecclesiæ ex aliis Sacramentis, quæ certum est nunquam ministrari infirmis ab alieno Sacerdote, nisi in defectum proprii. Cum ergo Ecclesia voluerit etiam morientibus providere circa alia Sacramenta, & tamen non concesserit, ut præsentem proprio, ministrarent ab alieno Sacerdote viaticum, & extrema Unctio, signum est, ob illam curam, quam de infirmorum salute habuit, non perturbasse ordinem debitum, nec præiudicasse iurisdictioni legitimi Prælati, quando præsens est.

Denique circa ipsum Penitentia Sacramentum Ecclesiæ usus est manifestus; nam sicut nullus infirmus accipit alia Sacramenta ab alieno Sacerdote nisi in defectum proprii; sic nemo aude in eo articulo alieno confiteri, nisi de licentia, vel in defectum proprii, & hunc usum ignorare non poterant Patres Concilij Tridentini: fatendum ergo est eos de hac sola Ecclesiæ consuetudine loquutos, quæ verè erat, & perpetuò fuerat, ut deficiente proprio, quilibet Sacerdos absolvere posset, non verò de consuetudine, quæ nunquam fuisset petendi absolutionem ab alieno, non deficiente proprio.

Advertit tamen primò Sanchez n. 8. cum aliis, licet adsit proprius, si tamen nolit absolvere, posse in eo articulo inferiorem absolvere, quia perinde est, adesse, & nolle, ac non adesse, & in utroque casu militat eadem necessitas.

Advertit secundò contra Zambrani numerò 14. non censeri esse copiam Confessarij superioris, quando infirmus neque illum adire, nec accersere potest: nec teneri ad petendam facultatem per literas, vel nuntium, aut per confessarium; imò nec teneri accipere bullam cruciatæ, cuius virtute possit absolui; non enim tenetur quærere privilegium, qui in ipso iure communi potest invenire remedium.

Adverte tertio cum eodem num. 9. Si casus reservatus sit talis, à quo Episcopus iure ordinario possit

32. Si proprius adsit, & nolit, habetur pro absente.

33.

Mm 3 possit



possit absolvere, quales sunt casus occulti, tunc non censeri deesse copiam superioris, quamvis poenitens non possit adire Summum Pontificem; si possit adire Episcopum, qui pro illo casu esset legitimus superior.

Quid, si confessio incepta est?

Aduerte quarto cum eodem num. 15. Si confessio cepit iam fieri cum inferiore, quia non erat copia legitimi, & postea adueniat legitimus, posse adhuc continuari confessionem cum primo, quia per inceptionem acquisiuit iurisdictionem, quæ cum res non sit integra, perseverat, nisi casus reseruat. habet excommunicationem reseruatam: ab hac enim debet absolue ille, qui superueniat. Quia cum ille, qui absoluitur ab excommunicatione reseruata in mortis articulo ab inferiore, absoluitur cum onere comparandi coram superiore quamprimum possit, & superior iam supponatur praesens, debet coram illo comparere: quod si ille nolit absolvere, posset inferior ab excommunicatione, & à peccatis absolvere, tanquam si superior non aduenerit. Denique si poenitens ob mendacium graue confessionem sacrilegam cum inferiore fecisset, adhuc post aduentum legitimi Confessarii potest cum eodem inferiore confessionem illam, quam inceperat, perficere quia absolutio nulla fuit, atque idem perinde se habet, ac si data non fuisset, ut probat idem Sanchez num. 16.

34. Quid, si ad sit potens ex privilegio?

Illud difficilius est; an quando adest Confessarius, qui ex privilegio potest absolvere, debeat in periculo mortis poenitens illi confiteri, an possit absolui à quolibet alio, eo quod non adsit ordinarius. Aliqui enim dicunt, posse confiteri cuilibet exposito non habenti tale privilegium. Ita Suarez in praesenti disp. 3. sect. 3. n. 5. & Henriquez lib. 5. de Poenitentia, cap. 10. num. 1. in commentario littera D.

Mihi magis placet contraria sententia, quam tenent Nauarrus, & Corduba, quos affert & sequitur Sanchez ibi num. 11. cuius ratione omnia proba primò ab absurdo; quia si ille dicatur tunc non habere copiam Confessarii, & idem posse cuilibet confiteri, sequitur, quod etiam extra eiusmodi periculum, si solum adsit Confessarius potens absolvere ex privilegio à mortalibus, poterit poenitens reputare se quasi non habentem copiam Confessarii, & communicare absque confessione cum sola contritione. Unde etiam si haberet centum Confessarios religiosos, qui ex Pontificis privilegio possunt absolvere cum non sint Parochi; si tamen non adisset Parochus, posset secularis in necessitate communicandi sumere Eucharistiam, absque ulla confessione, quod nemo concederet. Non ergo dicatur carere copia Confessarii, aut esse in necessitate, qui licet non habeat Ordinarium suum, habet tamen delegatum ab ipso Ordinario, quales sunt omnes, qui ex facultate, aut privilegio Pontificis possunt absolvere; imò fere omnes Confessarii absolunt ex iurisdictione delegata: nam regulares omnes non continentur suis Praelatis communiter, in quibus est iurisdicção ordinaria, sed aliis Religiosis, quibus à Praelato delegatur iurisdicção: & seculares maiori ex parte continentur Religiosis, & pauci ipsi Parochi, sed aliis fortasse Sacerdotibus secularibus, qui non sunt Parochi, sed habent iurisdictionem delegatam à Parochi, vel Episcopo: ille autem, qui ex privilegio potest absolvere, iam habet etiam ipse iurisdictionem delegatam. Non deest ergo copia Confessarii legitimi; quia perinde est adesse illum, quem Parochus vel Episcopus constituit suo loco, ac si adesset ipse Parochus, vel Episcopus.

35.

Ratio à priori esse potest: quia praeceptum confitendi proprio Sacerdoti, est diuinum, atque

ad id obligat, quotiescumque illi satisfieri potest. Sed, quando adest delegatus à proprio Praelato, & substitutus ipsius, perinde est ac si adesset proprius: nam confitendo illi, observatur praeceptum confitendi proprio, ut constat ex cap. Omnia vtriusque sexus, de poenitentia, & remissionibus, ubi praeceptum est de confitendo Sacerdoti proprio singulis annis, cui praecepto dicit fieri satis confitendo; ei quem Parochus, vel Episcopus suo loco substituit. Quoties ergo datur copia Confessarii, siue ex privilegio speciali, siue ex commissione generali delegata à Pontifice, Episcopo, vel Parochi, debet infirmus ex Christi praecepto ei confiteri, cum sit possibile tunc observare praecepta confitendi omnia peccata proprio Sacerdoti. Alioquin neque etiam simplici Sacerdoti deberet confiteri: quia ille etiam nunc non est Confessarius legitimus, nisi ex delegatione, quæ Ecclesia dedit ei iurisdictionem delegatam pro articulo mortis. Si ergo delegatio illa facit, quod infirmus ex Christi praecepto teneatur illi confiteri, quando alium non habet, quia tunc ille est Sacerdos proprius ex delegatione, & Christi praeceptum est de confitendis in articulo mortis omnibus peccatis Sacerdoti proprio: eodem modo erit obligatio confitendi Sacerdoti habenti delegationem Ecclesiae ad absolvendum vniuersaliter: quia iste est Confessarius proprius ex delegatione, qui dum habetur, non censetur deesse copia Confessarii proprii, nec sit secunda delegatio cuilibet Sacerdoti simplici pro articulo mortis.

Vltimò dubitari potest circa praedicta, an quando deest Sacerdos proprius etiam ex delegatione, possit indifferenter eligi quilibet alius; an vero sit ordo aliquis necessarius seruandus inter illos. P. Suarez dicta disp. 26. sect. 4. num. 4. dicit, necessarium seruandum ordinem, ut non possit absolvere Sacerdos non expositus, nec approbatus, si adsit alius approbatus, v. g. alius Parochus qui hanc iurisdictionem non habeat; item si adsit simplex Sacerdos toleratus, non possit absolvere excommunicatus non toleratus, quod amplectitur Sanchez d. cap. 13. n. 10. quia Sacerdos non toleratus, iam eo ipso caret iurisdictione, & sit Sacerdos simplex, & aliunde habet prohibitionem positivam. Addit autem, Sacerdotem quemcumque Catholicum esse praefendum haeretico, vel schismatico, & inter catholicos irregularem praefendum excommunicato vitando; suspensum autem, vel interdictum praefendum irregulati; & degradatum postponendum aliis catholicis quocumque alio vinculo impeditis.

Hanc gradationem, & ordinem, maxime cum ea necessitate, qua ab iis Auctoribus adstruitur, ut absolutio aliter data non valeat ex defectu iurisdictionis, nimis scrupulosam existimo: incredibile enim est, Ecclesiam noluisse dare in eo articulo facultatem, nisi observaretur ille ordo, quem ne doctissimi quidem homines sciunt, nec nisi cum magno studio & attentione cognoscere possunt; quo modo infirmus, aut moribundus ad eam subtilitatem speculandam obligari prudenter poterat? Dicendum ergo est, Ecclesiam, posita necessitate, quod scilicet periculum sit mortis, & proprii Confessarii copia non sit, omnibus aliis indifferenter facultatem concedere: nam omnes ibi enumerati, si verè iurisdictione carent, Sacerdotes simplices sunt: nec refert, quod hic Sacerdos alibi fortè expositus sit, vel iurisdictionem habeat: nam hic, & nunc est simplex Sacerdos, & verba Tridentini vniuersalia sunt, ut in casu necessitatis omnis Sacerdos possit absolvere.

Petres: Quid, si adsit proprius Parochus, vel alius



*Quid, si ad sit* quis alius potens absolvere à peccatis mortalibus, sed non à reſeruatīs: tunc ſi pœnitens habeat aliqua reſeruatā, & aliqua non reſeruatā, poteritne confiteri in eo articulo cuiuslibet Sacerdoti ſimplici indiſſereter, an ſoli Parocho, vel potēti absolvere à mortalibus? Reſpondeo, debere confiteri Parocho, vel potēti absolvere à non reſeruatīs: quia in ordine ad illa iam adest proprius Sacerdos, qui debet implere præceptum Chriſti confitendi Sacerdoti proprio: cū autem aliunde non poſſit dimidiare confeſſionem, debet eidem confiteri reſeruatā: cū in illo articulo habeat iuriſdictionem ad abſolvendum etiam ab illis.

39. Dices: Ergo ſimiliter, ſi quis confitetur in mortis articulo peccata venialia, & mortalia, debet præſentare Sacerdotem ſimplicem non excommunicatum alteri Sacerdoti etiam expoſito, qui ſit excommunicatus vitandus. Probat ſequela: quia Sacerdos ſimplex habet ad minus iuriſdictionem in ordine ad peccata venialia: excommunicatus autem vitandus priuatus eſt omni iuriſdictione ab Eccleſia: ergo pœnitens non eſt in neceſſitate in ordine ad venialia ad quæ habet Cōfeſſarium proprium & legitimum: ergo, ſicut in præſentia Parochi Eccleſia non confert iuriſdictionem Sacerdoti alieno, quia Parochus eſt proprius in ordine ad non reſeruatā, licet non in ordine ad reſeruatā: ſic non confert iuriſdictionem excommunicato in ordine ad venialia in præſentia eius, qui aliunde iam habet iuriſdictionem circa illa, licet non circa mortalia.

40. Reſpondeo, negando ſequelam. Ratio differentiæ eſt, quòd in cauſa præcedenti non ſolum eſt copia Cōfeſſarij in ordine ad mortalia non reſeruatā, ſed etiam obligatio confitendi ei propter præceptum Chriſti confitendi proprio Sacerdoti, quantum fieri poterit: idèd dicimus, Eccleſiam tunc non conferre iuriſdictionem Sacerdoti alieno, quia fruſtra, & ſine neceſſitate eam confert: cū enim pœnitens debeat confiteri proprio non reſeruatā, quando poſſet, & tunc ad ſit proprius, non poterit confiteri alieno, atque idèd non eſt neceſſe ei dare facultatem. At verò in poſteriori caſu, licet ad ſit Sacerdos ſimplex potens absolvere à venialibus, non eſt tamen obligatio ei confitendi: quia non eſt obligatio confitendi venialia: non ergo fruſtra dabitur facultas excommunicato abſolvendi: quia iam pœnitens inuenitur ſine copia Cōfeſſarij in ordine ad peccata omnia, & ſingula, quæ tenetur confiteri. Ergo non eſt, cur magis Eccleſia det facultatem Sacerdoti non excommunicato, quam excommunicato, cū neutri debeat pœnitens venialia confiteri. An verò excommunicatus reuera careat iuriſdictione ad venialia, videbimus ſectiō. ſequenti.

### SECTIO III.

#### Appendix ad ſupradicta.

*De peccatis venialibus, & mortalibus antea confeſſis, qui ſit in ordine ad illa legitimus Miniſter?*

41. **S**icut omnes Sacerdotes abſolvunt in mortis articulo, ſic omnes indiſſerenter videntur poſſe abſolvere à peccatis venialibus, & mortalibus iam confeſſis: idèd hoc punctum cum præcedente coniungemus. Et quidem de venialibus nonnulli dubitant an Sacerdotes ſimplices poſſint abſque alia delegatione ab iis abſolvere. Communis tamen Theologorum ſententia id affirmat & communis fidelium uſus ita habet. Difficultas autem eſt in explicando: unde proveniat hæc iuriſdictio, vel poteſtas. Aliqui dicunt ad venialia non requiri iuriſdictionem, ſed

ſufficere poteſtatem Ordinis. Ita Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. ad 2. Sed eſt fortasſe differentia in ſolis vocibus; quas ipſe tamen improprie uſurpat: vocat enim iuriſdictionem illam ſolam, quæ cogere poteſt pœnitentem ad confeſſionem talium peccatorum. Sed non bene vitur illo nomine, ut dixi: quia Tridentinum illa ſeſſ. 14. c. 6. uniuersaliter dicit, abſolutionem eſſe actum iudiciale, atque ideo Miniſtrum huius Sacramenti ſemper appellat Iudicem. Et c. 7. ex eo, quòd ſententia non poteſt ferri, niſi in ſubditum, uniuersaliter colligit, nullius valoris eſſe abſolutionem, quam Sacerdos ſine ordinaria, aut delegata iuriſdictione pronunciat. Non poteſt ergo negari quin requiratur iuriſdictio ad abſolvendum à venialibus, quæ licet non poſſit cogere ad eorum confeſſionem; poteſt tamen cogere ad ſatiſfactionem impositam, ſaltem ſub culpa veniali: poteſt item ſolvere, & aliquo modo retinere, negando abſolutionem factam talem pœnitenti indiſpoſito.

Alij ergo dicunt, hanc iuriſdictionem conferri Sacerdoti à pœnitente ipſo ſe illi ſubjicienti: quod videtur ſignificaffe Caietanus tom. 1. Opus. tract. 7. & in Summa, verbo, Abſolutio, 2. Sed hoc, ut ſonar, falſum eſt: non enim poteſt iuriſdictionem conferre, qui illam non habet: pœnitens autem laicus nullam habet iuriſdictionem in hoc foro, ut conſtat.

Alij ergo tertio dicunt, hanc iuriſdictionem conferri à Chriſto omnibus Sacerdotibus in ipſa ordinatione. Ita Palud. Capreol. Canos, Ruardus, & Ledesma, quos reſert & ſequitur P. Vaſqu. in præſenti, q. 93. art. 1. dub. 6. Probat primò: quia peccata venialia non ſunt materia neceſſaria: ergo credibile eſt eſſe, Chriſtum non ſubdiſſe eorum abſolutionem poteſtati Eccleſiæ: ita ut non poſſent abſolui niſi ex cōmiſſione Eccleſiæ: cū tamen pro eorum expiatione neceſſe non ſit ad Eccleſiæ clauſes recurrere. Hoc argumentum debet, meo iudicio, ſolui ab eius Auctoribus: quia, ſiue Sacerdos accipiat hanc iuriſdictionem à Chriſto immediatè, ſiue ab Eccleſia; verè tamen habet iuriſdictionem ad illa peccata ſolvenda, & clauſes: & tamen non habet auctoritatem cogendi pœnitentem, ut recurrat ad clauſes, nec ad Iudicem: ergo, licet Eccleſia non poſſit obligare, ut pœnitens recurrat ad eius clauſes pro expiatione venialium; potuit tamen habere iuriſdictionem ad illa quam poſſit Sacerdotibus communicare, vel auferre.

43. Alij ergo quartò probant: quia Eccleſia non poteſt reſeruari peccata venialia: ergo non dat iuriſdictionem ad illa: ſi enim procederet ab Eccleſia, potuiſſet eadem Eccleſia auferre, ſuſpendere, vel limitare illam poteſtatē, atque adeò poſſet reſeruari aliqua peccata venialia. Hoc eſt poſſimū fundamentū quo vitur P. Vaſquez. Sed id, quod n. 8. ut certum ſupponit, neminem vnquam conceſſurum, quòd reſeruatō peccati venialis valide fieret, cōcedunt multi: non quidem, ita ut pœnitens maneat obligatus ad confitendum veniale; ſed ita ut abſolutio data à Sacerdote inferiori non valeret. Ita Suarez in ſupradicta, diſt. 28. ſect. 3. n. 1. Coninch in præſenti, diſp. 8. dub. 2. n. 17. Nuñez in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 10. Miranda in Manuali Prelatorum, tom. 2. q. 3. a. 4. Graſſius lib. 1. de diſciplinis, c. 10. Homobonus part. 1. c. 3. aſſert. 1. Bonacina in præſenti, diſp. 5. q. 7. puncto 5. § 1. n. 3. & alij plures. Imò agentes de effectu excommunicationis maioris, quatenus priuat iuriſdictionem, & adminiſtrationem Sacramentorum, abſque vlla diſtinctione dicunt, omnia Sacramenta collata ab excommunicato non tolerato eſſe valida præter vnum Sacramentum Pœnitentiæ, quod nunquam eſt validum: quia caret omni iuriſdictione. Et ipſemet Vaſquez in tract. de excommunicatione, ſic

M m 4 etiam



etiam generaliter loquitur *dub. 4. n. 3.* dicens, solum in extrema necessitate validum esse: in præsenti-amen propter consequentiam ad suam sententiam dixit, peccare quidem excommunicatum vitandum absolviendo à venialibus, absolutionem tamen validam fore. Cum ergo principium illud nec commune sit, nec aliunde probetur; non potest ex illo sufficienter probari prædicta sententia.

44. Verius ergo dicitur iurisdictionem ad venialia collatam esse simplici Sacerdoti ab Ecclesia, propterea docet Suarez in præfati *diss. 26. sect. 5.* Coninch, loco citato Henrici. lib. 6. c. 5. Bonacini, Medina, & alij multi, quos ipsi afferunt. Quod probat Suarez argumento contrario: quia, nimirum, de facto Ecclesia priuat Sacerdotem excommunicatum vitandum iurisdictione etiam ad confessionem venialium, quod licet Vasquez negare tamen vera Doctores communiter in materia de excommunicatione id videntur concedere.

Ratio à priori pro hac sententia est, quam supra adduximus: quia hoc Sacramentum, siue versetur circa mortalia, siue circa venialia, semper exercetur per modum iudicii, atque idem in Ministro ad valorem absolutionis requiritur iurdictio ordinaria, vel delegata, ut dixit expressè Tridentinum *illa sessione 14. c. 7.* Sed in Sacerdote simplice non est iurdictio ordinaria, cum ipse non sit Pastor, nec Prælati; alioquin omnes essent sibi invicem Pastores, & subditi; quod perturbaret omnino ordinem debitum in Ecclesia. Ergo solum habent iurisdictionem delegatam ab eo, qui habet ordinariam, nempe, à Summo Pontifice, qui eam potest pro libito valide auferre, & aliquando licite, & prudenter auferre ab excommunicato vitando. Non tamen referuntur communiter peccata venialia: quia, cum non sit obligatio illa confitendi, frustra, aut cum parvo fructu referantur, & aliunde non est materia digna reservatione, quæ solum adhiberi solet ad graviora crimina coercenda.

45. Confirmatur: quia nemo habet iurisdictionem ordinariam in hoc Sacramento, qui aliunde non habeat aliquam superioritatem, & gubernationem, etiam extra Sacramentum: idem enim Pontifex Episcopi, Parochi, & Prælati habent iurisdictionem ordinariam: quia incumbit illis ex officio gubernare, & pascere illos subditos. Sed Sacerdos simplex nullam prorsus habet superioritatem, aut gubernationem circa alios Sacerdotes, & multò minùs circa Episcopos, & Cardinales. Non est ergo eorum Pastor ex officio in ordine ad peccata venialia, sed solum ex delegatione Supremi Pastoris, & Pontificis, à quo accipit illam iurisdictionem delegatam.

46. Ex dictis inferitur, quid dicendum sit de potestate, quam iidem Sacerdotes simplices habent ad absolviendo à peccatis mortalibus, quæ iam iterum pœnitens confessus est. Circa quod est ferè eadem varietas opinionum, iisdem ferè Auctoribus dicentibus, esse de iure diuino: quamvis P. Vasquez fateatur, rem hanc esse satis obscuram, & difficilem ad probandum.

Ceterum idem argumentum, quod probat, ad venialia requiri iurisdictionem ab Ecclesia derivatam, probat eodem modo in ordine ad eiusmodi peccata mortalia, propterea tenent Suarez, & alij omnes supra adducti: quia circa illa exercetur verum iudicium, & per consequens requiritur vera iurdictio in Ministro erga pœnitentem, ut in subditum: quam cum Sacerdos simplex non habeat ordinariam; necesse est, quod habeat eam ex delegatione Supremi Pastoris. Unde nec Episcopi, nec inferiores Prælati possunt impedire directè hanc potestatem, cum procedat à Supremo eorum Pastore, qui est Summus Pontifex. Dixi, *directè*: quia

indirectè possunt excommunicando, & denunciando Sacerdotem: tunc enim Ecclesia auferit ab illo iurisdictionem ad absolviendo etiam ab eiusmodi peccatis.

Potest tamen circa hæc peccata, & eorum secundam confessionem esse maior difficultas, quam circa venialia, quomodo Sacerdos simplex possit ab eis absolvere: quia, quando hæc peccata semel absoluta iterum subiciuntur clauibus, & dantur pro materia absolutionis; Sacerdos indicat de illis, & intendit ab illis absolvere, non quidem sub conditione, si absoluta iam fuerint, sed simpliciter, & absolute. Et ad hunc effectum secundum Sacramentum dat gratiam sanctificantem, ut si sublata non fuerint, deleantur: & hæc est vis, & sensus formæ, cum dicitur: *Ego te absolvo*, quantum est ex me, remitto hoc debitum, de hoc peccatum. Repugnat ergo, quod data sit potestas solum absolviendo ab illo peccato, si iam absolutum sit: hoc enim esset contra significationem formæ, quæ significat solutionem illius debiti, etiam si solum non sit. Fortasse propter hoc Soms *supra* citatus cum scrupulo loquitur de potestate illa Sacerdotis simplicis ad absolviendo ab eiusmodi peccatis: quia illa semper sunt per se materia necessaria; & per accidens est, quod sint iam remissa.

In contrarium tamen est usus fidelium, ut circa eiusmodi peccata omnes Sacerdotes absoluant: quia consuetudine supposita, solum declarandum est de possibili, quomodo poterit ea potestas dari ad absolviendo à peccato mortali solum eo casu, quo iam à legitimo Confessario absolutum sit. Et quidem hæc difficultas eodem modo procedit; siue hæc potestas procedat ex iure diuino, siue ex Ecclesiastico: nam semper habebit eandem repugnantiam potestas ita limitata cum significatione formæ. Possimus tamen illam concessionem declarare, ita ut conditio non se teneat ex parte absolutionis proferendæ; sed ex parte ipsius confessionis. Potest enim Pontifex Sacerdoti simplici dicere: *Ego volo tibi dare facultatem absolviendo à peccato mortali Petrum: sed nolo tibi eam dare nunc; sed cras, postquam ego eum prima vice absolvero.* Nam, sicut ipse Pontifex, postquam prima vice absoluit Petrum, potest iterum, & lapsus eum absolvere ab eodem peccato, si sapius illud confitetur, sic potest communicare alteri similem facultatem ei, quam ipse habet. Potest autem communicare hanc facultatem, quando voluerit, & potest velle communicare, quando iam pœnitens absolutus sit prima vice, & non priùs: in hac enim voluntate communicandi facultatem tali tempore, & non priùs, non videtur esse ulla contradictio: quia Sacerdos qui tunc incipit esse Sacerdos, & expositus, incipit habere tunc facultatem absolviendo ab illo peccato, quam non habuisset priùs: ergo similem facultatem potest ex concessione Pontificis incipere habere Sacerdos simplex eodem tempore: quando, scilicet, pœnitens iam confessus fuit prima vice illud peccatum.

Ad hoc declarandum potest offerri exemplum in actu vouendi: pone enim aliquem, qui à Pontifice prohibitus esset facere vllum votum; in d. fuisset redditus inhabilis ab eodem Pontifice ad vouendum validè: posset hic petere ab eodem facultatem vouendi castitatem, verbi gratia, quam iam iterum vouerat olim ante prohibitionem: & Pontifex posset concedere eam facultatem, si verè iam eam iterum vouisset: quo posito, conditio non se teneret ex parte voti, sed ex parte concessionis: non enim concedit facultatem solum ad votum conditionale, sed ad votum absolutum castitatis: sed tamen non concedit

46.  
De potestate  
ad peccata  
am confess.



concedit licentiam absolutæ, sed sub conditione, si iam iterum castitatem vouit: qua conditione stante, sit nunc votum nouum absolutum; ac per consequens eius sensus est: Volo me obligare denuo, etiamsi obligatus non essem: alioquin non esset votum absolutum simpliciter: sed tamen licentia Pontificis ad hoc votum absolutum, & cum illo sensu absoluto faciendum, non fuit absoluta, sed conditionalis, si iam iterum castitatem vouerat: nec in hac concessione est aliqua contradictio. Sic ergo in casu nostro finge, poenitentem petere facultatem à Pontifice confitendi hæc peccata Sacerdoti simpliciter, quia iam prius eadem proprio Sacerdoti confessus fuerat, Pontifex licentiam concedit sub eadem conditione: *Si iam eadem peccata proprio Sacerdoti confessus es.* Confessio est conditionalis: absolutio tamen, ad quam datur licentia, non debet esse conditionalis, sed absoluta, cuius sensus sit, remittere illa peccata, etiamsi prius remissa non fuissent: nam ad hanc absolutionem absolutam dari potuit licentiam sub conditione: in quo nulla apparet contradictio.

## DISPUTATIO XIX.

## De Ministro ordinario, &amp; delegato Sacramenti poenitentiae.

SECT. I. *Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.*

SECT. II. *De Ministro delegato ad confessiones audiendas.*

**I**URISDICTIO, quæ in Ministro requiritur, dupliciter habetur: scilicet, vel ordinaria, vel delegata, ut dixit Tridentinum. De utraque dicendum erit in hac disputatione, & prius de Ministro ordinario.

## SECTIO I.

*Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.*

**M**inister ordinarius est, qui est Pastor respectu poenitentis: omnes enim Christi fideles Pastorem habent suum, præter unum Supremum Pastorem, qui licet ouis sit Christi, non habet alium Pastorem: potest tamen absoluti sacramentaliter ab illo Sacerdote, quem ipse elegerit: quomodo autem aut à quo accipiat iurisdictionem Confessarius Pontificis, diximus *suprà*, disp. 15. sect. 3. Cæteri omnes Pastorem habent, qui est eorum Confessarius ordinarius, nimirum, summus Pontifex est Pastor communis omnium fidelium, atque idem potest omnes absolueret potestate, atque iurisdictione ordinaria. Deinde Episcopus habet potestatem ordinariam in omnes suos subditos: Parochus denique in omnes suos parochianos, siue illi Laici sint, siue Clerici, vel etiam Sacerdotes.

De ipsius Episcopis dubitatur primò, quis sit eorum Pastor, qui ordinaria potestate possit eos absolueret. Aliqui volunt, eum esse Archiepiscopum: huius verò Patriarcham, qui immediatè subest Papæ, ut proprio Pastori. Ita Palud. & Syluester apud Suarez disp. 25. sect. 2. n. 10. Ipse tamen Suarez cum Soto, & aliis melius dicit, Episcopos subdi immediatè in hoc foro soli Papæ: quibus consentit Vas-

quez q. 93. art. 1. dub. 4. n. 2. An verò Archiepiscopus habeat potestatem ordinariam ad absoluerendos non solum suos proprios subditos, sed etiam eos, qui subduntur Episcopis Suffraganeis; dicendum est, habere, dum actum visitant diocesim Suffraganeam, ut colligitur ex cap. *ult. de consensu*, lib. 6. & noster Suarez cum aliis loco citato, & sect. 1. n. 13.

Possunt tamen Episcopi de iure communi eligere sibi Confessarium, ut vitetur animarum dispendium: quia difficile eis esset recurrere semper ad Papam, ut habetur in c. *ult. de poenitentis*, & remissionib. qua facultate possunt etiam uti, dum versantur in Curia Pontificis: quia concessio generalis est; & licet habeant apud se Religiosos, qui ex facultate Papæ possunt absolueret; possunt tamen alium sibi eligere, qui talem facultatem non haberet. Nouine autem Episcoporum comprehenduntur ibi alij Prælati superiores exempti: quia ita voluit Pontifex, & expressit in eodem indulto: quales sunt Abbates, exempti, & immediati Pontifici, & alij, qui habent similem iurisdictionem quasi Episcopalem: non tamen intelligitur Vicarius Episcopi, neque etiam Parochi, qui non sunt Prælati, & multò minus Abbatissæ, licet sint exemptæ, quia hæ non habent iurisdictionem Episcopalem, nec nomen Prælati.

Eodem indulto gaudent Prælati regulares, præsertim Generales, & Prouinciales, imò & Superiores locales, qui etiam sunt Prælati, & habent iurisdictionem in utroque foro, ut docent plures, quos congerit Diana tom. 2. tract. 2. de dubiis Regularium, resolut. 1. & tom. 3. tract. 4. miscellan. resolutione 1. Quod tamen limitandum notat Suarez disp. 27. sect. 2. num. 10. ut non procedat, quando in aliqua Religione iuxta specialia privilegia, vel Constitutionem à Summo Pontifice approbatam, Prælati inferior habet Confessarium designatum à suo Prælati Superiore, quia iam est veluti ordinarius eius Index, & Pastor in hoc foro. An verò possint ij Prælati eligere Confessarium, à quo absoluantur à casibus reservatis, à quibus ipsi possunt suos subditos absolueret, dicemus disputatione sequenti, agentes de absolutione à reservatis sect. 5.

De Cardinalibus, qui Episcopi non sunt, dicendum est breuiter, eos saltem ex consuetudine posse eligere sibi Confessarium, imò & dare facultatem suæ familiæ eligendi Confessarium, ut cum Caietano, & aliis docet Suarez dicta disp. 27. sect. 2. num. 6. & disp. 25. sect. 2. n. 11. & 12. Potest etiam Episcopus familiam suam eximere à Parochia, sicut & Imperatores, & Reges dicuntur habere exemptionem, de hoc tamen iam ferè nihil sciri potest: solent enim frequenter confiteri Regularibus, quibus iuxta sua privilegia confiteri etiam possunt alij sæculares.

Parochorum immediatus Pastor est Episcopus, vel qui, quasi Episcopale munus habet: ex consuetudine tamen eligunt sibi Confessarium: quod & aliis Sacerdotibus secularibus probabile putat Suarez. Sed neque de his potest iam constare talis consuetudo: quia hi omnes post Tridentinum non possunt eligere Confessarium, nisi approbatum ab Episcopo: qui, si Regularis sit, iam habet aliunde iurisdictionem per privilegia sui Ordinis: si verò sit secularis, habebit iurisdictionem ab Episcopo, qui non solet communiter dare approbationem Sacerdoti seculari sine licentia, & iurisdictione ad absoluerendum in sua diocesi: quare vix poterit vnquam occurrere casus, quo Parochus, vel Sacerdos eligant sibi Confessarium non habentem aliunde iurisdictionem.

Ij, qui dicuntur vagi, sed quod non habeant certum domicilium, confiteri debent Parochi, sub quo De vagis actu

4.  
De Prælati  
Regularibus.

5.  
De Cardinalibus.

6.  
De Parochiis  
& aliis Sacerdotibus.

7.  
De vagis  
actu